

(1206) 1207, març, 21

*L'abadessa Agnès de Sant Daniel estableix a Guillem de Pedraverda una casa amb pati situada prop del monestir i un hort, per onze sous d'entrada, amb reserva de drets per a una dona, de nom Causida.*

ASD núm. 70, perg. orig., 112 x 240 mm, carta partida.

Sit notum cunctis quod ego Agnes, Dei gratia Sancti Danielis abbatissa et omnis conuentus eiusdem loci donamus tibi Guilielmo de Petrauiridi et tuis uel cui donare, dare, impignorare seu uendere in perpetuum uolueris illas domos que fuerunt Oliuarie femine cum trilia que ibi est et arboribus omnium generum, sicuti habentur et continentur in parroechia Sancti Danielis, et affrontant de oriente in domibus Deuslofed et Berengarie de ipsa Rieria, a meridie in alueo de Gallicanti, ab accidente in parietibus monasterii, a circi in domibus ebdomadarii Sancti Danielis. I tem donamus tibi et tuis totum illud quod accipimus in orto qui fuit Petri de Narbona, dum Cosida femina qui tenet illum ortum uixerit; post eius mortem habeas tu et tui illum ortum cum oliuariis et aliis arboribus ómniū generum per ecclesiam nostram ad laborationem, et si seminaueritis in ipso orto linum uel cannabum donetis inde ecclesie nostre fideliter medietatem cum seminum medietate quam in eis mitamus tempore seminandi, et insuper habeamus medietatem arborum qui sunt in ipso orto uel fuerint et fructuum qui in eis fuerint post mortem iamdicte Coside. Sicut de hiis affrontationibus predicta omnia concluduntur, cum exitibus et ingressibus et cum omnibus eorum pertinentiis et tenedonibus, sic ea tibi et tuis perpetuo donamus, ut habeatis illa omnia uos et uestri post uos per ecclesiam nostrum et sitis inde nostri proprii homines et fideles in omnibus et in predictis domibus assidue stantes, et de omnibus supradictis donetis annuatim pro censu ecclesie Sancti Danielis .XII. denarios ad Carnes ablatas, et sic habeatis predicta omnia ad omnem uestram uestrorumque uoluntatem ibi et inde perpetuo faciendam, saluo iure Sancti Danielis, ut dictum est et in omnibus et saluo iure et uiolario iamdicte Coside, excepto quod non possitis ea uendere siue alienare burgensi neque iudeo, et ab die inantea accipiatis in fructu illas oliuarias que in iamdicto orto sunt medietatem integre. Pro quo dono recognoscimus a uobis recepisse .XL. solidos barchinonenses. Si quis hoc rumpere uoluerit, non ualeat.

Actum est hoc .XII. kalendas aprilis anno Domini .MCCVI.

Sig+num Stephanie de Paleria. Sig+num Marie de Paleria. Sig + num Saurine de Curzauel. Sig + num Berengarie de Riuopirarum.

+ Raimundus presbiter qui hoc scripsi cum litteris emendates in .IIII. linea, die et anno prefixo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 176-177